



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 1. Quot sint Matrimonii bona?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

392 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

ejusve Vicarium remittere poterit, ita tamen, ut ipsum de impedimento debitè informet.

Sed quid si hujusmodi impedimentum, non nisi ex confessione Sacramentali nōrit?

R. Quod Parochus, secluso contrahentium consensu, extra Confessionem perinde se gerere debeat, ac si nihil sciret.

CAPUT ULTIMUM.

De bonis Matrimonii.

§. I. *Quot sunt Matrimonii bona?*

Tria sunt Matrimonii bona fidelium, scilicet FIDES, PROLES, ET SACRAMENTUM.

Per Prolem intelligitur legitima generatio prolis, ejusque ad cultum Dei educatio.

Per Fidem intelligitur fidelitas conjugalis, vi ejus obligantur conjuges inter se commisceri, & non cum alio.

Per Sacramentum denique intelligitur vinculum indissolubile Matrimonij, quatenus representat indissolubilem conjunctionem Christicum Ecclesia.

Actus conjugalis per se est licitus, dum sit ad debitum finem, qui est generatio prolis, atque in hunc finem à Deo matrimonium est institutum Gen. 1. Crescite & multiplicamini.

P. I. An coniux tenetur reddere debitum alteri coniugi exigenti?

R. Aff. Idque sub gravi, quia materia est gravis.

Constat ex Apost. 1 ad Cor. 7. Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Mulier sui cor-



corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.
2. An conjux numquam excusetur à redditione debiti?

3. Aff. Idque in multis casibus. 1. Quando redditio non potest fieri sinè gravi incommodo compartis, ut si exigens laboret leprâ, peste, febri calidâ.

2. Similiter neget, quia vir est amens, vel ebrius, non enim humano modo petit. Hæc omnia in utroque militant.

3. Si mulier ex præcedentibus puerperiis, in quibus fuit morti proxima, probabiliter mortem timeat ex judicio medicorum, quia cum tanto vitæ periculo debitum illud solvere non tenetur.

4. Si infirma sit, vel copulam viro nocitaram sciat, eò quod patiatur menstrua: ejus enim sanitatem sapienter procurat, si ex copula grave detrimentum sanitatis patiatur.

5. Si vir propter adulterium jus exigendi amiserit, muliere manente pudicâ, & nolle ei reconciliari, quia non servavit fidem.

6. Si exigat extra tempus, & locum opportunum cùm commodè ei reddere non potest, si V.G. petat publicè, vel in loco sacro.

Excipiunt tamen easum Theologi, in quo quis V.G. supponitur per aliquod tempus inclusus in templo propter bellum, aut hæreticorum persecutionem, & non potest actus conjugalis differri sinè urgenti periculo incontinentiæ.

7. Si mulier sit gravida, & proxima partu, & timeat fœtus suffocationem.
3. An Actus conjugalis sit aliquando peccatum mortale?
- R. Aff. Si ita fiat cum uxore gravida, ut fœtum conceptum extinguat, aut periculo existentis exponat, sive interim fœtus sit animatus, sive non, & in isto casu etiam non licet redire debitum; ita contingere potest, quando actus conjugalis est nimis frequens, vel exercetur ab ebrio.
2. Si maritus cognoscat uxorem patientem fluxum sanguinis menstrui, saltem quando non est certum, quod conceptio fœtus non sequitur. Ratio est, quia id est graviter noxium proli concipiendæ, quippe quæ inde plerumque nascitur monstrosa, turpis, robore, & sanitate destituta.
3. Si actus conjugalis exerceatur contra naturam, sic ut inde impediatur conceptio prolis, ut nascatur semini effusio extra vasa natura-lia, quæ omnia aperte exprimi, vetat naturalis pudor, ideoque prætereo.

C A S U S XXVII.

Mulier quedam, labore manuum vix vitam sustentat, viro interim rem domesticam nil, aut parum curante, conficitur, se aliquoties debitum negasse marito justè exigenti, eò quod numerosam problem habeat, cui alendo par non sit; queritur, an talis mulier negando debitum peccaverit?

R. Aff. Si vir absolute petierit debitum, i. quia ne-

negavit marito, quod absolutè ei debebatur.
2. Quia verisimiliter ex negatione debiti majo-
ra erunt obventura mala, timendum enim est,
ne matitus in adulteria, pollutiones voluntariæ
prolabatur, quæ peccata, cùm possit impedire
mulier, etiam obligatur.

4. Quid est polygamia, & an licita?

R. Polygamia est, *Habentia plurium uxorum;*
estque triplex: Una, quâ vir unus habet plures
uxores successivè, aut contrà. Altera, quâ uxor
habet plures maritos simul. Tertia, quâ vir ha-
bet simul duas, aut plures uxores.

Primam esse licitam constat ex Apost. i ad
Cor. 7. *Si dormierit vir ejus, cui vult, nubat.* Al-
teram esse jure naturæ vetitam, & per dispensa-
tionem non posse reddi licitam, est communis
doctrina; quia si mulier simul habeat plures ma-
ritos, impeditur primarius finis matrimonii, vi-
delicet prolis generatio: vel si nascitur proles,
illa est incerti patris, atque ita natum est fieri, ut
convenienter non educetur.

Tertiam denique jure Divino nunc esse pro-
hibitam, certum est ex Trid. sess. 24. can. 2. fuit
que prohibita in prima institutione Matrimonii,
& quolibet tempore seclusâ dispensatione Divi-
nâ, ut habetur Cap. *Gaudemus.* De divortiis; ibi
enim dicitur, licitam fuisse Patriarchis post di-
luvium, Deo nempe dispensante, & transferente
dominium corporis virilis in plures feminas,
propter restorationem generis humani penè
totaliter per aquas extincti.

§. 2.